

Siricius Papa ad Episcopos Africanos, cap. 8. Præterea quod dignum & pudicum & honestum est suademus, ut Sacerdotes & Levitæ cum Vxoribus suis non coëant, quia in ministerio divino, quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namq; sic Paulus scribit, dicens: Abstinetes vos, ut vacetis orationi. Si ergo Laicis, abstinencia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quanto magis Sacerdos, utiq; omni momento paratus esse debet mundiciæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? Excusabitur? Quo pudore, qua mente usurpabitur? Quâ consciëntiâ, quo meritò hic exaudiri se credit cum dictum sit: Omnia munda mundis: Coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, &c. Et post pauca: Et apertius declarat (Paulus) dicens: Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt, vos autem jam non estis in carne sed in Spiritu.

1. Tim. 4. 1. At Spiritus manifestè dicit: quia in novissimis temporibus, discedent quidam à fide attendentes impostoribus, & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, PROHIBENTIVM NVBERE.

III. Anabaptistarum & Turcarum, qui polygamiâ, et alias plures hujus ordinis confusiones introducunt: Quibus jungatur concubinatus Pontificius, qui nihil aliud, quàm perpetua scortatio est.

IV. Impiõrum & spurcissimorum hominum immundicia; qui vel scortationibus & adulteriis sese polluunt, vel de conjugio, quod ubiq; honorabile esse debet, vel de muliebri sexu, contumeliosas voces evomunt. Quos omnes DEVS est iudicaturus, Hebr. 13. 4.

Hec